



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXXVII. Nautis inermis Magdalenam deportat in exsilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Eminus absentem si sic Deus angit & vrit;
Quid facit, os flammâ dum propiore ferit?

L X X X V I I.

*Navis inermis MAGDALENAM
deportat in exsilium.*

CYMBAVEHIT Martham, fragili quæ textitur
alno;

Par Mariam curtâ stans trabe cymba vehit.
Et par cymba vehit iusto cum pondere fratrem,
Cui soror alternum cingit vtrimque latus.
Iamque natat ponto, Zephyri crispante flabello:
Ludicra veliuolos ventilat aura sinus;
Spumeaque impellit æquatis marmora remis,
Spumosumque secat clauus arator iter.
Sic equidem rebar. sed tonsa hîc nulla, nec vllus
Remus, & infidis anchora fida vadis.
Nonne procellosis pila ludicra voluitur Austris
Linter, & incertis errat vt aura fretis?
Imbellisque abies ventos irritat, & æquor,
Vt trepidam vincant ad sua bella ratem?
Vt lubet, Astræos acue in fera prælia fratres
Acole, fluctifonas adijce Caure minas:
Haud tamen vndiuagis Eurûsve Notûsve qua-
drigis
Subruet errantem per freta sæua ratem.
Nonne vides? victrix per inhospita regna timoris
Labitur inuito puppis inerma mari.
Cur ratis hæc velit armamenta? natatile ponto
Ipsa sibi Cælum fit ratis: astra vehit.

Cal-